Ita quod idem monast(erium) ex hoc fervencius in n(ost)ra possit devocione persistere. et nos exinde
provinciam et sollicitudinem tuam debeamus non immerito commendare. Data Florent(ie)
vii kalendas Aprilis.

Guillelmus dei gratia rex Sicilie ducatus Apul(ie) et principatus Cap(ue) venerabili Casin(ensi)
conventui fidelibus suis salutem et dilec(tionem). Litteris honestatis vestre quas celsitudini
nostre misistis vidimus et de obitu venerabilis abbatis vestri tamquam fidelis nostri tri(stes)
doluimus. Quod nos autem per easdem litteras maiestati nostre supplicastis quatinus de
pastoris substitucione vobis provideremus attendentes ne si diucius monasterium pastore
vacaret tam in spiritualibus quam in temporalibus possit incurrere detrimentum vobis de
pastore misericorditer duximus providendum. Mandamus itaque et precipimus vob(is)
ut in simul conveniatis et habito inter vos consilio invocata gratia spiritus sancti pari
voto et unanimi desiderio secreto nominetis inter vos aliquam personam de conventu
vestro que sit fidelis et de genere fidelium nostrorum certa honesta religiosa litterata et ad
regimen ipsius monasterii sufficiens et idonea de qua non electione sed secreta nomi
nationem tantum facientes per tres aut quattuor de confratribus vestris personam illam
nostre magnificencie significetis et sic maiestas nostra cognita peticione et unanimitate
vestra decenter prout convenerit de electione ipsa statuet et ordinabit. Ipsi autem confra(tres)
vestri qui ad curiam nostram pro hoc venturi sunt veniant premuniti vice et auctoritate
omnium vestrum ut si forte persona ipsa quam nominaveritis non fuerit ad electionem admitti
(li)ceat eis vice et loco omnium vestrum aliam personam in conspectu nostro nominare pro
electione facienda. et si de persona illa quam nominaverint in conspect(u) maiestatis
nostre fuerit electio celebrata nos omnes electionem ipsam stabilem et ratam habebitis. Pre
terea mandamus et precipimus vobis ut interim donec predicto monasterio et vobis
de pastore provideatur de procuratione et administracione rerum ipsius monasterii
tam intrinsecus quam extrinsecus et de omnibus que spectant ad salutem animarum vestrarum
intendatis. Petro decano vestro fideli nostro ad honorem et fidelitatem nostram et salutem et
commodum et honorem et fidelitatem ipsius monasterii. Dat(um) Avellan(e) xxv° die mensis
Marcii septime indictionis. — Preceptum Gisulfi ducis beneventani de finibus hu
ius monasterii require in privilegio domini Zacharie pape. Item eiusdem Gisulfi preceptum de s(ancta) M(aria) in cingla

In nomine domini nostri iesu Christi. Firmamus atque concedimus. Nos dominus vir
gloriosus Gisulfus summus dux gentis Langobardorum in monasterio beate
et gloriose semper virginis dei genitricis Marie quod fundatum est in loco qui dicitur
cingla manifesta causa est. Quia per nostra ante atque voluntate premiserit
dominus petronacis abbati pater noster construere monasterium puellarum in honore beate
Marie in cella et territorio quam quod saracenus in honore sancti cassiani in ipso
edificaverat locum et per nostrum firmitatis preceptum concessimus in monasterio sancti
Benedicti ad ipsum locum ordinandum et regendum ubi nos unacum scauniperga glo
riosa coniuge nostra decertamus per dei misericordia adiutorium prebere et perficere opus
et convenerat inter gisolperto modo beati benedicti et deus dedit abbati de sancto Iohe
ut cella sancte crucis cum diversa territoria ibidem pertinentem tam quod Anastasius
presbiter qui antea ibi fuerat conquisivit aut emit quamque quod abbas deus dedit
ibi aggregavit ad sanctum predictum cenobium dominaret. Sed dum nos obsecrasset
ut cum nostra fieret voluntate atque tributa largitate obviavit ei Petrus gastaldo
noster et contradicens dicendo ut presbiter ille quondam Anastasius advena fuerat homo